



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio I. De significatione nominis, Vnum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

rum ultimatum dantur omnes particulæ constituentes genus, scilicet univocatio, & non transcendencia seu existentia extra tales differentias, etiam si tales rationes non conveniant enti respectu differentiarum non ultimatum, vel subalternatum: ergo licet ens non sit genus respectu harum, poterit esse genus respectu ultimatum, quia denominatio generis, ut pote relativa potest variari, & mutari respectu diversorum, ut patet ex exemplis adductis, & ratio est manifesta, quia impedimentum quod non tollit in vno respectu alterius definitionem, non potest tollere in eodem rationem definiti, quia definitio, & definitum sunt omnino idem, ut ex terminis patet: sed transcendencia in subalternis differentiis non tollit ab ente quod sit univocum, & quod sit extra differentias ultimas, quæ est definitio generis: ergo transcendencia respectu differentiarum subalternarum, non tollit ab ente respectu ultimatum rationem generis quæ est definitum per talem definitionem: ergo nullius momenti est solutio Adversariorum.

29 Deinde, quia suppositum talis solutionis est omnino falsum, siquidem nulla est differentia, etiam subalterna, & non ultima, quæ sumatur à tota forma in sensu ab Adversariis intento: id est quæ sumatur adæquate, & totaliter à tota forma, & non ab illa inadæquate, hoc est secundum aliquem præcisum gradum, seu conceptum; & deinde non satisfacit, nam quid refert quod ens includatur in quibusdam remotis differentiis, ut non sit genus respectu substantiæ, & accidentis, in quæ proxime, & univoce dividitur per differentias proprias, & extra sui rationem? imo, & econtrario iuxta Scoti sententiam, inferendum esset illas differentias non ultimas, propterea ab ipso finguntur, non esse proprias differentias: sed quasdam species entis: nam res solubiles sunt in conceptum entis, quidditativum, & univocum ipsis, & in aliquam differentiam ultimam, quæ non includat ens: nihil ergo ibi deerit ad constitutionem, & compositionem speciei.

SECTIO ULTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

30 **A**D fundamentum Scoti respondetur bene posse compati, quod una differentia ultima sit diversa ab alia; & quod cum illa in communi ratione entis conveniat, sicut omnes docent de primis, & universalissimis generibus, quæ propterea non proprie differre, sed primo diversa esse dicuntur, quia alias non essent suprema genera: sed sub alio superiori contenta, præsertim posita univocatione entis, quam Scotus ponit, quomodo autem hoc intelligendum sit, patet ex dictis in prædicamentis, & ex dicendis postea.

31 Ad secundum respondeo illam propositionem servari posse inter compositionem metaphysicam, & physicam, quamdiu in eis sistitur, & consistit in hoc quod nec genus differentiam includit, nec differentia genus, sicut nec materia formam, nec forma materiam; si autem resolvendo metaphysicam compositionem, provenitur ad simplices conceptus non compositos ex genere, & differentia, iam in illis respectu prædicatorum superiorum transcendendum non oportet servari prædictam proportionem,

quia in eis iam non reperitur ille determinationis modus; sed alius iam supra explicatus de maiori, & minori expressione, &c. Deinde addo imprimis non esse necessariam illam proportionem inter compositionem physicam, & metaphysicam, aliqui sicut de omni forma verum est nihil includere materiæ, & de materia nullam includere formam: ita de omni genere seu conceptu determinabili verum sit eundem, quod nullam includat differentiam, & econtrario de omni differentia, quod non includat ens quod est primum determinabile.



DISPUTATIO III.

De primo attributo entis, Vnitate scilicet.

QVÆSTIO I.

De significatione nominis Vnum.

HOc nomen primo significat principium cognoscendi, quod his verbis asserit Arist. lib. 5. met. cap. 6. Principium ergo cognoscibilis circa quodlibet unum: uni vero esse est principium alicui numero esse: supra quæ sic ait Divus Thom. lect. 8. Res autem cognoscuntur per sua principia, & ex hoc patet quod principium est unum notum vel cognoscibilis circa quodlibet, & est in omnibus principium cognoscendi, ut v.g. in genere consonantiarum est unum quod est diesesis, quod est minimum in consonantiis: diesesis enim est semitonium minus: item in gravitatibus sive ponderibus est aliquid unum minimum, quod est principium sicut unitas, vel aliquid aliud minimum, & in moribus sicut simplicissimus & velocissimus motus est principium, seu unum: rationem autem quare hoc principium unum dicatur, his verbis tribuit: in omnibus tamen istis hoc est commune, quod illud quod est principium, est indivisibile.

Secundo significat mensuram in vnoquoque genere, & sic Arist. convertit illam cum principio his verbis: uni vero esse alicui numero esse; prima namque mensura principium, nam quo primo cognoscimus hoc est prima mensura cuiuslibet generis, unum quidem mensura est: sic ille, ratio autem quare mensura debeat esse unum quid, seu una ratio est, quia mensura debet esse certa, determinata, & statâ, & ideo in ea ratione indivisibilis vocatur, vel aliter, quia summum in vnoquoque genere est mensura cæterorum, cum autem summum ut summum sit unum, & non plura, non habet divisionem in se, & sic indivisum est: ergo unum.

Tertio significat hoc nomen unum, illud quod perfectum est, quod his verbis explicuit Arist. Quæ circuli maxime una linearum, quia tota & perfecta est: super quæ verba sic ait Divus Thom. & ex hoc patet, quod linea circularis est maxime unum, quia non solum habet continuitatem, sicut linea recta; sed etiam habet totalitatem, & perfectionem quod non habet linea recta, perfectum enim, & totum est cui nihil deest, quod quidem contingit lineæ circulari, non enim potest sibi fieri additio seu demptio: sic Angelicus Doctor, itaque propter indivisibilitatē perfectum dicitur unum, quare

Quæst. I. De significat. nomini, Vnum. 213

quare propterea ad significandam infinitam perfectionem Dei, non solum, Druides galorum, magi orientales; sed etiam Sacerdotes Egyptij (vt allert Goropius Becanus in Germanena) *Uonadis* seu vnius nomine Deum venerabantur, cui consonat dictum illud celeberrimum Socratis, inter pocula veneni lethalis, animam essantis *O Menas à quo omnia*, id est, *O vnitatis*, quæ est principium omnium rerum.

Quarto significat idem quod solum, id est vnicum, & in hoc sensu dicitur ab Scriptura vnus Deus id est solus, & vnicus (& in Evangelio vnum baptisma, quia Sacramentum baptismatis vnicum est) quod confitetur Ecclesia in Symbolo Niceno, dum agit de vnitatis Dei, ibi: *Credo in vnum Deum, factorem, &c.* & in hoc sensu intelligi posse aiunt: Arias Montanus, & Forerius, illud axioma Gregorij Niceni: *in diuinis omnia sunt vnum* ubi non obuiat &c. & hoc est quod allertur à Casaubono, in *tract. de perfectione diuina*, cui aditupulatur Greg. Tolofanus lib. 1. *de republ.* dicens, Athenienses non solum omnipotenti Deo nomine ignoti cultum exhibuisse; sed etiam vnius vnici, & solius hunc in modum semper vni ignoto Deo, ex quo Apostolus Paulus excidium sumpsit, & ansam vt suæ prædicationis claritate lucem fulgentissimam Ateopagitarum obtenebratis mentibus offunderet, in hunc sensum multa sacræ Scripturæ loca à Diuo Aug. lib. *de Genes. ad literam de Trin. & de Ciuit. Dei*, explicantur, & enodantur, & ab Eugubino lib. *de Perenni Philosophia*, passim, & multa antiquorum Philosophorum placita in hunc finem adducuntur.

Quinto alia non adeo propria significata tribuit Arist. huic nomini lib. 1. *met. tex. 11.* his verbis: plurima itaque vnum dicuntur, eo quod aliquid vnum aut agunt, aut patiuntur, aut habent, aut aliquid vnum sunt. Hæc verba explicat Diuus Thom. lect. 8. hoc modo: *Ex his autem modis vltimus alicui alij modi derivantur, plurima autem sunt quæ dicuntur vnum, &c.* ex eo quod trahunt vnam naturam, trahentes vnum nominantur, & etiam dicuntur aliqua vnum, ex eo quod vnum patiuntur, sicut multihomines sunt vnus populus, ex eo quod ab vno Rege gubernentur: quedam vero dicuntur vnum ex eo quod habeant aliquid vnum, scilicet multi possessores vnus agri sunt vnum in dominio; rationem omnium horum sic reddit Arist. quia nimirum habent in diuisionem: vnde illud, quod non solum indivisum est, sed etiam indivisibile, maxime vnum est: Ex quo sequitur alia significatio huius nominis, quæ nunc ponitur.

Sexto significat hoc nomen vnum, id quod omnino impartibile, & indivisibile est vt testatur Arist. 1. *met. tex. 11.* his verbis: *Omnino autem, quarum ratio indivisibilis est, nec tempore, nec loco, nec ratione separari potest ea maxime vnum sunt*, scilicet, quod adeo in rigore, seu rigoroso modo intellexit Alex. Alensis, vt hoc genus vnitatis solum conueniat diuinæ essentia; neque ylllo modo, aut vix reliquis naturis simpliciter simplicibus accommodari possit: credit enim hic Author ea dici ab Arist. inseparabilia loco, & tempore, quæ nullam concernunt multitudinem partium aliam, atque aliam; videlicet partem loci, aut temporis, ex vero inseparabilia ratione, in quibus apprehendi nequeunt diuersæ rationes per modum compositionis, siue physica, quæ sit ex materia & forma, siue metaphysica

quæ sit ex genere, & differentia, aut ex natura specifica, & differentia individuali, aut ex essentia, & existentia, aut ex natura, & supposita, litate, &c.

Sanct. autem Thomas super hæc verba Arist. 6 mitiori modo loquitur, dicens quod omnino, id est perfecte, & maxime sunt vnum quorum intellectus intelligens quidditatem eorum, & omnino indivisibilem indicat, sicut simplicia quæ non componuntur ex principijs materialibus, & formalibus; vnde intellectus accipiens quidditatem eorum non comprehendit ea, quasi componens definitionem eorum ex diuersis principijs, sed magis per modum negationis; sicut punctum est, cuius pars non est, vel etiam per modum habitudinis ad composita, sicut si dicatur quod vnitatis est principium numeri, &c. itaque quancumque quidditatem simplicem non compositam à parte rei vocat Sanctus Thom. indivisibilem, etiam si componatur illa per rationem, quod confirmat Arist. lib. 3. *met. cap. 3. tex. 11.* his verbis. Idque est vnum quod indivisibile, quod quere non compositum; sed nota cum Diuo Thoma, & omnibus Scholasticis Doctoribus tam metaphysicis, quam Theologis, per illam indivisibilitatem non formaliter, sed à priori indicari vnitatem, quia vnum vt vnum, non constituitur formaliter per indivisibilitatem in separabilitatem; sed potius per inuisionem, quæ sequitur in simplicibus ex indivisibilitate, in compositis autem non sequitur inuisionem ex taliratione, quia non est in ipso, cum potius sint diuisibilia. Vnde indivisibilitas non est causa vniuersalis vnitatis, seu inuisionis.

Vltimo, & propriissime vnum significat id quod 7. indivisum est seu impartitum, aut inseparatum, vt patet ex his verbis Arist. lib. 5. *met. ibi: vniuersaliter enim quæ non habent diuisionem, in quantum non habent, sic vnum dicuntur: vt si in quantum homo non habet diuisionem, vnus homo: si vero in quantum animal vnum animal: si vero in quantum magnitudo vna magnitudo, sic Aristoteles* (ex quibus euidenter colligitur inuisionem supra enitatem constituere vnitatem, itaque vnum ens est ens indivisum, quapropter ratio formalissima constitutiva vnitatis est inuisionem entis, vt patet ex verbis Arist. quod eisdem pene verbis repetit ipse Philosophus lib. 1. *met. c. 3. & lib. 2. c. 6. & 7. & lib. 5. eiusdem met. cap. 4. & toto c. 6. & lib. 7. & 8. tex. 9. 10. 11. & ab 11. vsque 18.* id enim etiam docet lib. 1. *Ethic. & lib. 1. Magnorum moralium, c. 1.* cuius vestigijs insistant Scholastici vt videre est passim; præcipue autem affirmat id Diuus Thom. in 1. *librum met. Aristotelis lect. 4. & in 2. lect. 8. in 5. metaph. lect. 4. 5. 6. 7. & 8.* & tandem super omnia verba Arist. à nobis adducta; item 2. *contra Gentes. c. 1. in opusculis, opus. 15. in quolib. & 1. p. 4. 3. & 4. & 9. de vnitatis persona Christi. Scotus in 1. dist. 3. & passim in omnibus pene Authoribus repetitur, & legitur hæc significatio; vnde certissimum est formalitatem vnius in inuisionem consistere; quid autem hæc inuisionem sit, hoc opus hic labor, vtrum sit positivum vel negativum; & si negativum, vtrum negatio in se, vel à se, vbi quor capita tot sententia.*